

et alienos terminos invadendo diripere. Verum quia hec aliis presumptionibus molitus est addere, necessario eum vocare duximus, et apostolice sedi cui Deo¹⁾ auctore presidemus, presentari sancimus, quatinus de his et aliis excessibus rationem reddere valeat.

38. Ludovico et Karolo filiis Ludovici²⁾.

a. Sie sollen das widerrechtlich genommene Erbe Lothars dem Kaiser Ludwig zurückgeben — ‘Relatum est nobis, quod quasdam sortes regni quondam dive memorie Lotharii imperatoris inconvenienter retineatis et vestro pro libitu contra omnem iusticiam disponatis. Ipsum siquidem regnum paterno atque fraterno iure piissimo et a Deo conservando domno Ludovico semper augusto, quod et vos latere non credimus, multis modis debetur. Et vos quare terminos, quos posuerunt patres vestri transgrediamini contra fas retinendo, miramur. An ignoratis, quod tam ipse Lotharius imperator et dilectus filius noster Ludovicus genitor vester atque Karolus reges inter se divisionem fecerint, ut³⁾ sibi et filiis suis singulas metas ad invicem conservantes et amicitiam mutuam custodirent et nemo eorum fraternam sortem transiliret⁴⁾. Quod non verbo sed etiam iuramento sunt tempore illo polliciti ipsumque iuramentum, ut removeri non posset, sedi apostolice, ut illa super hoc esset posteriori tempore testis et iudex, unanimiter transmiserunt, et non solum in archivio nostrae ecclesiae nunc manet reconditum, verum etiam, ut validius robustiusque pactum ipsum iureiurando habitum permaneret, sinodica conventio definivit. Unde vel pudeat vos immo perterreat, quod genitor vester christianissimus rex simul cum illis iuraverit, et nunc velitis, ut de amico Dei inimicus, quod absit, nomen Domini peierando constituatur. Veruntamen ille, qui non est sue voluntatis, ab hoc nevo peccati erit fortassis immunis. Vos vero⁵⁾ cavere oportet, ne moriamini in delicto isto et amittatis flores vestre nobilissime iuventutis. Huius rei gratia monemus, hortamur, ut quod de prescripto regno tenetis continuo deseratis, ab invasione illa cessetis et nullam ordinationem nullamque potestatem vobis vindicare conemini, quatinus idem serenissimus imperator, que sua sunt suo more dispenset et divinitus iuxta quod placuerit sibi disponat. Sed et hoc interdiciamus ac modis omnibus inhibemus, ut cum aliquibus hominibus pro diminutione iam fati regni domni imperatoris pactum aliquod non ineatis’.

b. Item. Droht ihnen mit Excommunication. — ‘Ne tacendo periuris⁶⁾ favere videamur, si quod absit, contrarietate regni

1) fehlt Hs. 2) In der Hs. ist nur zu lesen . . . o et Karolo . . . dovici. 3) ‘et’ Hs. 4) ‘transilirent’ Hs. 5) ‘vere’ Hs. 6) ‘peiurris’ Hs.